



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. XII. De libero hominis arbitrio, & quæ nunc in nobis sint illius vires.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

Cap. 12.

ETHIC. CHRIST.

uentu Domini) *Faciles sumus ad seducendum: debiles ad operandum: & fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum & malum, decipimur: si tentamus facere bonum, deficimus: si conamur resistere malo, deicimur, & superamur.* Itaque hæc ille, & quidem verè.



CAP. XII.

De libero hominis arbitrio, & quæ nunc in nobis
sunt illius vires.

VAERITVR igitur, quid nobis de libero arbitrio sit sentiendum, quod in rerum honestarum & turpiu delectu maximè locum habere debet. Libero enim arbitrio homini denegato, omnis electio & consultatio eidem adimatur necesse est. Quid enim electurus est, si libera in nobis voluntatis appetitio non est vlla? Deniq; virtutes omnes & vitia tollantur, oportet: si quod agimus, neque animi electione agimus neque consultò, sed necessitate, etsi ad vnàm tantum, vel virtutem, vel vitium nati dicamur. Sanè perplexa & difficilis quæstio, quæ ne confuse, sed vt distinctè tradatur à nobis, primùm quid de toto hoc argumento ex Dei verbo sit definiendum dicemus. Postea varijs, quæ contra solent afferri, obiectionibus respondebimus. Liberum arbitrium qui nobis tribuunt, ita definiunt, vt sit voluntas eligens & perse inclinata æquè ad bona & mala expetenda. Alij vero sic, vt Lombardus lib. 2. distinct. 25. *Liberum arbitrium*

trium est voluntas appetens & eligens ea quæ ex
ratione decreuit. Qui enim ex ijs sic dicitur. Li-
berum arbitrium est, quo rectè vinitur, vel pecca-
tur, non satis suam mentem explanant. Ergo li-
berum appellatur, non tantùm, quia est spon-
taneum & à coactione immune (id quod tamen
Lombardus vi veritatis compulsus aliquando
sensit, ut ex ipsius scriptis apparet; imprimis
autem cum ait, *hominis arbitrium liberius esse
ad malum, quàm ad bonum*) sed quòd ad bona
vel mala expetenda per se æquè pronum, pro-
cliue & aptum natum est. Itaque Græci *ἄνευ
βίβης* appellarunt, superbo quidem nomine, sed
tamen quo spontaneum tantùm nostræ volun-
tatis assensum declarant; non quòd vires bene
agendi in nobis, vel ex nobis esse velint, & sta-
tuant. Hoc liberum arbitrium in homine quan-
quam partim rationis & intelligentiæ: partim
voluntatis, & appetitionis commune effectum
esse putant, tamen voluntati tribuunt potius
quàm intelligentiæ. Neque enim expeti, nisi
quæ prius ratio nostra iudicavit esse honesta &
decora: itaque Arbitrium dici, quòd intelligen-
tia prior arbitretur, id est, iudicet & decernat:
neque tamen planè liberum arbitriũ dici posse,
nisi voluntas nostra accesserit & elegerit, quæ
tam acceptare, quàm recusare suo quodam li-
bero motu & electione possit illud, quod ratio
dictauerit & monstrauerit. Hoc autem arbi-
trium, & liberrimum quidem in primo homine
Adamo, antequam cecidisset, fuisse cum Dei
verbo pronuntiamus. Præditus enim erat ho-
mo primus ante lapsum & luce intelligentiæ

splendidissima, qua iudicaret: & voluntatis liberrima atque integra electione, qua optare posset: fuit etiam in eo ipso homine primo sana & recta per se voluntas, neque nisi ab alio inductus & male persuasus unquam de malo cogitasset. Proposita igitur est homini à Deo vitæ & mortis via, quam posset eligere, si vellet. Nam posse habuit, quò vellet, quemadmodum præclare ait Augustinus. Præclare etiam Bernard. in lib. de Gratia & libero Arbitrio, *Habuit homo in paradiso Arbitrii libertatem: Sapientiam, qua vera cognosceret: Potentiam, qua facere posset.* Elegit autem potius Satanæ, quam Deo parere, in quo ipso cæcutire ipsius ratio cepit, propter voluntatē, quæ in peccatum & malum sese sponte inflexit: atq; illud Dei præcepto impiè prætulit. Iam verò ex conditione & lege à Deo homini imposta facta est serua peccati non tantum vnus Adami voluntas: sed omnes futura ex eo posteritatis, id est, omnium, qui ex eo nati sunt, hominum (In Adamo enim bonorum vel malorum omnium, quæ in nos postea collaturus & effusus erat Dominus, propositum specimen erat) appetitio & voluntas peccato omnino astricta fuit & addicta. Cui enim quis se subiicit & addicit, illius fit seruus. A deo quidē vt quemadmodū nulla est serui voluntas: sed tota ex domini voluntate & imperio pendet (Neque enim habet seruus, vt aiunt, velle vel nolle) sic nostra iam omnium voluntas vile est Satanæ, cui se summisit, mancipium, atque etiā domicilium: est peccati, cui se misera subiecit, prorsus serua, vt per se iam nihil aliud, quàm quod

quod Peccatū & Satā imperiosissimi, & crudelissimi domini imperant, velle possit. Venditi enim sumus omnes sub peccato, vt loquitur Scriptura. i. vt subiiceremur peccato, Roman. 7. v. 14. Tota igitur hominis voluntas iam nihil cogitat ipsa per se nisi vt peccet: in eo tota est. In eo summā voluptatem capit. Denique vt piscis aqua, sic homo peccato naturā delectatur. Iob. 15. v. 16. atque sectatur illud, nec in mentem quidem illi iam aliud, tanquam ex se, venire potest. *Verba sunt* (inquit Bernardus) *non mea: sed Apostoli, qui omne quod bonum est, id est, cogitare, velle, perficere attribuit Deo, non suo arbitrio* Augustinum non commemoro, quia quā nobiscum faciat notius est, quā vt dubitari à quoquā (qui illius scripta aduersus Pelagianos vel semel degustarit, & imprimis illius liberum de Gratia & libero Arbitrio ad Valētinū) vnquā possit. Ex quo fit, vt passim in scriptura in peccatis mortui dicamur, quia in peccato prorsus sepulti iacem⁹, & ad virtutē per nos ipsos inutiles sumus Ephes. 2. v. 1. Coloss. 2. v. 13. 1. Petr. 2. v. 24. libri iustitiā, quia penitus seruimus peccato. Ergo nō magis se quisquā nostrū ad bona & vere honesta spē sua impellere & erigere potest, quā qui iam vita functus & planē mortuus est, incedere, vel vitā sibi reddere potest. Nam de bono ne cogitamus quidem iam ipsi per nos vnquam. Totum enim est à natura prauum cor hominis Genes. 8. & si suggeratur boni mentio aliunde, voluntas nostra totam eam cogitationē auersatur, & refugit, nisi à Dei spiritu prius infectatur & mutetur. Quare peccat homo
g. ij.

sponte, neque aliud quàm malum ipse per se iam eligere potest, quia necessitate seruilique conditione peccato prorsus subiicitur. Iam enim magna intelligentiam nostram tenebræ occuparunt, & magna *àraçia* atque iniustitia in nostra voluntate inest. Inhæret enim in omni parte nostri natiua illa, quæ ex originis siue Adami peccato attracta est & in nos omnes diffusa vitiositas. Itaque diligenter est perpendenda illa Genes. cap. 8. v. 21. vox *רע* *Ierfer*, vbi omne figmentum, ac motio cordis humani per se iniqua & praua esse pronuntiatur. Neque enim tantum illius pœnæ, quæ in Adamū parentē nostrū dicta est, i. mortis hæredes sumus, id quod sentiunt Scholastici, sed etiam ipsius reatus & culpæ, & labis, quæ in singulis nostrū quasi Cisti fellis quædam in hepate insidet, atque affixa est. Intelligere denique & velle in homine post peccatum non perit. Benè autem velle, & cœlestia intelligere perit. Sunt enim illa duo huiusmodi, vt censeantur humanæ naturæ, quatenus à brutis differt, primæ & essentielles quædã partes, & velut ipsa forma. Itaque iis duabus dotibus homini ademptis, neque homo iam homo maneret, sed vel brutum vel stipes esset, neque peccatum peccatum, si neque intellectionē vllam, neque appetitionem iam post peccatū haberemus. Sed neque ipsa rectè intelligendi, atque bene volendi possibilitas (vt ita loquar) per peccatum perit in nobis, vt quasi iam omnino neque bonæ voluntatis, neque rectæ intelligentiæ vllō modo capaces esse possimus. Possimus enim, & possibilitas illa manet, quæ tamen nullo

nullo modo in actum deduci potest, nisi qua-
tenus à Dei Spiritu regeneramur, & ad vtrun-
que capaces atque idonei reddimur. Sic nos ii-
dem mortui, tamen vitæ capaces sumus. Nam
Dei virtute resurgere possumus. Re ipsa tamen
& *in propria* bene velle, & spiritualia & verè cæle-
stia cognoscere, quales quidem natura sumus,
& antequam duro illo iugo peccati eximamur,
certè non possumus. Id quod Prosper grauis
scriptor his verbis pulchrè cõfirmat, *Virtutum
itaque semina, que beneficio Creatoris inserta sunt,
prauaricatione primi parentis euersa sunt, nec ha-
beri queunt, nisi eo restituyente, qui dedit. Reforma-
bilis est enim natura humana formatori suo: & eorū
bonorum qua habuit, capax est, ut per Mediatorem
Christum, recuperare possit, quod perdidit.* Atque
hoc ipsum est, quod testatur Ambrosius, quod
August. quod Bernard. & (quod longè maioris
est ponderis) D. Paulus, nos à Deo *intra*, id
est, ad bene & cogitandū & expetendū idoneos
effici, & fingi, qui tamē per nos ipsos id facere
minimè antea re ipsa poteramus, 2. Corinth. 3. v.
5. 6. Itaque alibi Spiritus sanctus, de bonis operi-
bus agens, ait, *faciam ut faciatis*, Ezech. 36. v. 27.
Hebr. 13. vers. 21. quod diligenter Augustinus, &
meritò quidem, obseruauit, in Enchirid. cap. 32.
*Nam vtrunque legitur in sanctis eloquijs, ait, Et
misericordia eius proueniet me, & misericordia eius
subsequetur me. Nō lētem prouenit, ut velit: volen-
tem subsequitur, ne frustra velit. Et cap. 106. Sed
post illam ruinam, inquit, maior est misericordia
Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandū
est à seruitute, cui dominatur cum morte peccatum.*

Quare quæ restat in nobis voluntas, illa, non liberum, sed peccati seruum arbitrium dicendum est. Neque tamen quum bonum & honestum aliquod opus facimus, inuiti facimus, sed volentes. Nam tunc voluntas nostra à Dei Spiritu in eam partem flectitur, & propter Dei gratiam in Christo à seruitute peccati liberatur. Ille enim voluntatis nostræ ad bonum motus, vel amor: denique vel sola de bono cogitatio nostra nullo modo à nobis est. Consentit quidem bono, & vult illud voluntas nostra, postquam à peccati seruitute liberata est, & à Dei Spiritu subacta. Quod quum vult, sponte non coacta vult. Quis enim voluntatem aliquid velle, nisi sponte & volentē, vnquam dixerit? Præclare enim Anselmus, *Velle autem quisquam non potest inuitus, quia non potest velle, nolens velle.* Nam omnis volens ipsum suum velle, vult. Ergo bona & honesta velle dicimur, quatenus à Deo renati, & nouo ipsius afflatu ducti & impulsi, ea ipsa volumus & expetimus. Qua ratione *αὐτοῦ Θεοῦ* & sumus, & dici possumus in bonis operibus: neque enim (quod sæpe dictum est) nobis tanquã passiuus tantum instrumentis vtitur Deus, quemadmodum securi faber vtitur (volumus, n. hoc ipsum, quod Deus vult, & facit ipse nos velle) sed hic voluntatis nostræ ad bonum motus, neque à nobis coepit, neque ab ipsa voluntate nostra est excitatus. August. *Qui fecit te sine te, non te iustificat, sine te. Ergo fecit nescientem, iustificat, volentem, voluntas quidem non est, nisi tua: iustitia non est nisi Dei.* Quid igitur, ait Bernardus, hoc ergo totum liberi arbitrii opus est, hoc solum eius est meritum,

ritum, quod consentit? Est sanè, non quidem, quòd
vel ipse consensus, in quo meritum omne consistit, ab
ipso sit, quum ne cogitare quidem (quod minus est
quam consentire) aliquid à nobis, quasi à nobis suf-
ficientes simus. Idem Bernardus in eodem opere,
Non enim adieceret mecum, nisi praeueniente gra-
tia, subsequens liberum arbitrium habuisset, pre-
sumens se non solum operis esse ministrum per ef-
fectum: sed operis quodammodo socium per consen-
sum. Ac si diceret, Abundantius laboravi, non e-
go, sed & ego. In eo enim quòd solo Dei dono praeuen-
tus sum, non ego: in eo quòd voluntate donum subse-
quutus sum, & ego. Ergo hæc esto superioris di-
sputationis summa, Nos post Adami lapsum
habere quidem & retinere, tum intelligentiam,
tum etiam voluntatem, per quas nos homines
toto genere à brutis & lapidibus differimus:
bonam autem voluntatem, aut sanam intelligen-
tiam, nisi prius à Dei Spiritu illustrata, immuta-
ta & inflexa fuerit vtraque illa animæ nostræ
pars, iam nos non habere. Infusas enim per pec-
catum menti tenebras esse, vt tam obscure etiã
vera videat, quam obscure noctua etiam in me-
dia luce videt, quod fatetur certè Aristoteles.
Voluntati autem inhærere ἀταξίαν & ἀκολοσίαν
tam verum est (quod etiam profani viderunt:
quemadmodum Plutarchus libro 7. Symposiac.
quæst. 5.) vt nihil nisi turpia & inhonesta iã ex-
petat. Hæc vtraque labes non nisi à Dei Spiritu
potest tolli, & elui in nobis. Possibilitatem
quidem atque horum (per quæ & recta fit vo-
luntas nostra, & intelligentia sana) Dei donorū
accipiendorum capacitatem dicimus nobis pro-
g. iij.